

1606

pidi custodia concredata fuerat , parerent , missæ ; tormentarii pulveris bellicorumque apparatus vim eo devehí imperatum ; legatum quoque , qui trans Mincium amnem regionem tueretur , mitti decretum : Nicolaus Delphinus lectus . In Creta Nicolao Sagredo , legato , mandatum , ut quantum maxime possit triremium numerum instrueret : duo efferæ atque montanæ Sfacchiotarum gentis sagittariorum millia , Marii Gazzii , militum tribuni , incolarum ingenii , totiusque insulæ situs apprime docti , opera adhibita , vere novo in Italiam mitteret : cunctos ad opem Reipublicæ ferendam cohortaretur , deque Cretensium subsidiis ad Senatum perscriberet . Qui in urbem frumenta importari curarent , in continentem misfi : Marcus Lauretanus in Rhodiginos , Maphæus Michaelius in Vicetinos ac Veronenses , Marcus Antonius Contarenus in Taurisanos ac Carnos . Ac licet eo anno frumenti inopia tota fere Italia premeretur , Romæ sextarius Venetus amplius quinque nummis aureis veniret ; Neapolis quoque ac Sicilia , Italiæ horrea , eodem malo conflixtarentur , ut Prorex extrahi annonam frumentariam vetaret : in Veneto tamen solo summa frumenti aliarumque rerum uberrima affatim copia exstitit .

At Hispani , sex ac viginti triremibus , quibus Pontificis Nuntius , e portu solventibus , benedictionem impertiit , Neapoli digressi , Messanam contenderant ; decem ac quatuor milite bellicoque apparatu egregie adornatis , Hidrunum se contulere ; ibi Sanctacrucius , ne quidquam de illius consiliis emanaret , celocibus navigatione interdixit . Brundusium delati , nonis augusti , prima noctis vigilia , Epidamnum contendunt ; ad eam partem , qua oppidum in orientem vergit , cum binis scloppettariorum millibus diluculo , Sanctacrucio duce , illati , inopinantes , paucos , imparatosque adorti , portas prosternunt . Decem tantum piraticam exercentes Turcæ , qui intra ædes quasdam se receperant , obsistere adnixi , tormentorum , quos moschetos vocant , grandine perculsi cecidere . Direpta atque incensa urbe , ex Turcis centum ac quinquaginta abduxere , Christianos ducentos in libertatem vendicavere : ex inopi civitate præda parta , aliquot tantum bellica tormenta abducta . Summo ab Hispanis artificio ea acta fuisse creditum , ut in Adriaticum ingressi , Reipublicæ , quæ sinus sibi imperium jure afferit ,

no-

Nicolaus
Delphinus
trans Min-
ciūm lega-
tus .

Mandata
ad Nicolau-
m Sagredum ,
Cretæ lega-
tum , de tri-
remibus in-
bruendis &
militibus
conscripten-
tis .

Epidamnum
ab Hispanis
septum .